

propria est, cæteræ communes: Una formæ exequitur munia, cæteræ materiæ induunt indolem: Una imperat, cæteræ iussa capesunt: Forma terræ in homine animæ rationalis ductum sequitur, & non tam formæ, quàm materiæ habes rationem, esse homini dat subjectivè.

§.2. Quemadmodum verò, ceu *l. c.* jamjam laudatus Autor scribit, Genus multis speciebus commune, differentia unius speciei propria est: Ita *forma generica* multis corporibus naturalibus communis, *specificæ* unius corporis propria est. Hinc speciem illa non constituit, sed ad materiam spectat, quæ demum formæ addita speciem absolvit. Et hoc est quod communiter ajunt, formam genericam actum quidem dare, sed imperfectum & cum potentiâ conjunctum. Formæ verò Genericæ, quando speciem non constituere, magisq; materiæ quàm formæ rationem habere dicuntur, ipsæ & materiæ & formæ rationem, alio tamen atque alio respectu habent. Ratione enim propriæ materiæ, cui insunt, formæ sunt, sic aqua habet suam propriam formam respectu materiæ suæ propriæ: Ratione verò mixti, cui cum propriâ materiâ subjacent, materia potius sunt. Sic formæ elementorum in mixtis habent rationem materiæ respectu illius formæ, cui subjectæ sunt. Formæ principiorum Chymicorum in mixtis habent rationem materiæ, quia formæ mixti specificæ subjacent.

§.3. De cætero *formas genericas* non unius generis difficilesque cognitu esse, res ipsa loquitur. Deprehendimus enim in homine animam sensitivam juxta ac vegetativam, formas quatuor elementorum, aliasque fac multas per accidens, ad tempus tantum; in bruis alias, alias in plantis. Ubi monente *B. Sperlingio l. sæpius c.* ante omnia distinguendum inter conceptus & res. Quælibet plantarum species suam habet formam specificam, suam absinthium, suam ruta, suam salvia: neq; anima absinthii animæ rutæ est, nec anima rutæ anima salviæ. Conveniunt tamen animæ hæ inter se & operationibus & facultatibus & naturis communibus, omnisque communi nomine vegetivæ animæ notantur. Differt hæc à specificis formis, non re, sed conceptu. Qui conceptus communis à singulis

lis